



Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VI. Pontificis Nicaeam profectio ad duos Reges conciliandos. Legati ab eo Vicentiam missi. Noua protrahendi Concilij necessitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

1537

rus, cùm ea Wittembergæ publicè concremauit, suosq[ue] asseclarib[us] eorum obseruatione prorsus absoluuit. Neque, vt ostendimus, fera illa Præfulum consultatio periude se habuit, ac Medicorum Churgorumq[ue] consilium, quod frustâ ægroti p[re]scripterit salutari pharmaca, quæ ab eo postea seu delicate reiecta, seu negligenter missa. Quidquid tunc emendatione dignum habitum fuit, pro vinibus humanæ conditionis emendatum nunc cernitur, immunito b[ea]na ex parte Pontificiarum concessionum v[er]su, adeoque imminutâ dupli bonorum adēptione, ex qua solum Principatus videtur optabilis, auri videlicet & gratia.

C A P V T VI

*Pontificis Nicæam profectio ad duos Reges conciliando. Legem
ab eo Vicentiam misit. Noua protrahendi Concilij necessitas.*

IN comperto erat, haud satis futuram ad perditos recuperandos, morum integratatem in Romana Curia, nisi Principum terror accederet. Alterà populos simplicitate deceptos allicere poterat, altero Proceres ambitione tumultuantes coērceri oportebat. Et huiusmodi terror incuti non poterat à dupli quantumvis valida potentia, alterà ab altera permutuum certamen debilitatā. Ex propter quā posset maximā solicitudine Pontifex admitebatur duos Reges ad concordiam cohortari. Captā igitur opportunitate induciarum, quæ quasi quædam nubium explicatio videbantur ad formam Iridis excipiendam, * Legatos destinauit, qui de pace atque Concilio agerent, Iacobatum Cardinalem ad Cæfarem, & Pium Cardinalem Carpensem ad Galliæ Regem, apud quem munus Nuntij gesserat; ac per eosdem dies misit Episcopos, Rhegiensem ac Veronensem, qui Veneto Senatui grates agerent, ob concessum Synodo Vicentiam, simulquæ ibi pararent quæ illi cogendæ op[er]arent. Interim Romæ consulebatur, an expediret, vt confitum ipse Pontifex Vicentiam se conferret. Videbatur ex una parte id opus esse ad p[re]stanta de Concilio promissa palam exhibita, confirmandamque Pontificiæ voluntatis efficaciam: ex altera vero ei decesse, quæ ad illud celebrandum necesse erant, nondum pace composita. Quod si Pontifex ipse ibi adesset, nec eum vel antecederet, vel subsequeretur Præfulum Oratorumq[ue] frequentia, scipsum obiecturum fuisse ludibrio, quasi leueman adeundo, & spretum in imperando.

Consultius ergo visum, vt premisis Vicentiam suis Legatis pa-

* 19. Octo-
bris 1537.
ex Actis
Consistori.

* 5. Octo-
bris in Actis
Consistori.



lām faceret, quantum in se erat, nihil omitti quo minus Concilium inchoaretur; simulque, ne suo labore parcere pro re Christiana videretur, Subalpinam & Insubrium oram adiret, vbi Franciscus Rex ex occasione proximi belli morabatur, & quā Cæsar transiturus erat, vt ē Germania in Hispaniam traiceret, ibique utrumque alloqueretur de pace inter se firmando, & inchoando Concilio: quibus ex voto cedentibus, inde Vicentiam illico peteret. His itaque in Senatu decretis, Legati ad Concilium selecti tres ex Purpuratis, Campegius, earum rerum experientiā in primis prædictis, Simonetta, Canonum periti insignis, & Aleander, non minus rerum intelligentiā quam exercitatione præcellens: vnde in eodem Senatu, in quo illi commissa legatio, fuere simul cum eo adhibitæ duæ illæ cæremoniae, quæ per duos congressus in Purpuratorum inauguratione haberi solent, & imponendi, & abrogandi silentij. Post triduum Pontifex Nicæam profectus, vbi sperabat se duos Reges ad colloquium adducturum. Statim ac Placentiam peruenit, literas accepit à Legatis Vicentia, significantibus, nullum ibi Episcoporum confisi: quare ne contemptui exponeretur auctoritas Pontificia ac Legatorum, qui intra quinque dies solemnē pompā urbem ingressuri erant, aufpicaturi Concilium, statuit in Senatu, ^a inaugurationem Synodi intelligendam esse protractam ad diem per se præstituendum, adeoque non posse ante illum diem inchoatam celeri; euulgauitque de ea re diploma, ^b admonitis festinè Legatis, ne quid solenniter agerent.

Paulus iter prosecutus, cum Cæsare 18. Maij prope Saonam; deinde cum Rege extra Nicæam ad colloquium venit; ibique Senatum habuit, ^d in quo ad rem assidue promouendam tres Legatos sacri Collegij nomine constituit, qui ultrò citroque eos Principes, quos èrē visum fuisset, adirent. Hi fuere tres Purpurati, Cupis, Senatus Princeps, Ghinucci, & Cæsarini. Mensēm vnum per ea loca versatus est Pontifex, modò cum Cæsare, modò cum Rege sermone habito. Nequit inter eos pacem componere, sed inducias in decem annos firmavit, haud tamen impetrare vñquam potuit, ut illi simul congrederentur: quamquam postea regresso Paulo id euenerit prope Aquas mortuas; Gallus enim prius iuante sponte in manus Cæsaris sese tradidit, cymbulā vectus ad illius naues. Postea verò Cæsar in Regis manus, ad eum terrā progresus, biduumque apud illum commoratus. Id actum est per mutuam amoris significationem, patefactā à Carolo voluntate gratificandi Francisco Regi, & cum eo pacem sanciendi, redditisque pariter à Rege promissis Cæsari

^{*10 Martij,}
vt in Actis
Concistor.

^{a 29 Aprilis}
1538. in
Actis Con-
cistor.

<sup>b Quod in-
cipit. Rom a-
nus Ponti-
fex, eadem
die.</sup>

c Hæc man-
dara perue-
nerunt Vi-
centiam

<sup>28. Aprilis,
vt constat ex
responione
Aleandri ad
Cardinalem
Ghinuccii
Diploma-
tum Secre-
tarium.</sup>

<sup>d 5. Iunij
1537. ex
Actis Con-
cistor.</sup>

orit
ij Tric
I
V

1538. Cæsari opitulandi, tam ad hæreticos subigendos, quād ad Turcas
propulsandos. Qua de re consilia ibi inita à Cardinali Lothario
& Comestabili Momorantio ex parte Regis, & à Couio &
Granuellano ex parte Cæsaris; conuentumque in eo est, vt me-
morati Administrī & Oratores, utriusque Principis negotium ag-
rent absque solenniori congressu strepitique; & Rex interim de-
nuntiaret transfugis à Fide, se in sinceram cum Cæsare amicitiam
rediisse; eosque vehementer hortaretur ad reconciliationem ac-
toritate Pontificis habendam. Hæc omnia primū ab Aquis mo-
tuis scriptis Carolus, deinde Vallisoleto & Ferdinando Regi con-
firmavit.

Verū tam studiosus utrumque congressus ad Pontificem per
suos Nuntios impigrè delatus, tamquam obsignata subscriptio ami-
citiae paternis eius monitis contractæ, satis non fuit, vt sagacel-
lum senem spe lactaret firmæ concordiae inter eos Principes perfili-
taræ; b qui tum ex physicorum, tum etiam multò validius ex politi-
corum sententia amicitiae impotes c censebantur. Et sanc ad collo-
quium illud Cæsarem adduxerat non tam voluntas quād casus,
eius triremibus tempestate iæstatis, postquam à Pontifice digressum
Barcinonem petebat: nec alia ex causa tunc facilis ad id se fit-
xit, quād ante profectionem Pontificis, nisi quod eo pacto res in
mutua humanitatis officia erat abitura citra pactionis arctionis ne-
cessitatem; at è contrario sequestri tam venerabilis præsentia plane
cogi videbatur ad pacem iis conditionibus componendam, quas &
Gallus postulasset, & Pontifex pro quiete publica sua satisseret. Nihil
minus haud omisit Paulus rem læto animo ad Senatum refere-
d' actisque solemnitate Deo gratiis edere publicæ gratulationis argu-
menta: ipsam enim significationem credendi quipiam, vel non
crederi, interpretantur homines tamquam ab eiusdem rei defi-
cio vel auersatione profectam.

Duo hic in Paulo III. carpit Suavis. Alterum est, quod ab illis
quo scriptorum illius ætatis accepit, e causam suscepit Nicæan-
næris fuisse non tam Christiani generis pacem, quād Mediolanensis
dit: onem familiæ suæ impetrandam, utrique Corona exhibita
illius Principatus nomine clientelæ. Evidenter ut libere loqueru-
tur, libenter id Pontificem consecuturum fuisse, cum intel-
leretur, simul in eo coalescere & proprij sanguinis, cuius erat studi-
fissimus, commoda, & Reipublicæ utilitatem, Italico ibi Princeps
constituto. Sed fidenter affirmare mihi licet, lectis intimis &
canissimis illarum rerum monumentis, cuiusmodi sunt mandan-

Pau-

a Misit ex
emplum Le-
gatus Alean-
der Vicentia
ad Pontificem.
1538.
b Alexander
Vicentia ad
Pontificem.
1538.
c Ioan. Ba-
ptista Adria-
nus lib. 1.
Hist.

d 29. Iulij
ann. 1538.
in Actis
Consistor.
Dianum
Blasi Cale-
natis 5. Au-
gusti 1538.
e Ioan. Ba-
ptista Adria-
nus loc. cit.
& alii.



à Paulo tradita cùm suis Nuntiis Legatisque, tum Farnesio Cardinali nepoti suo, semel ad Carolum missi, & iterùm ad vtrumque Principem, ac literæ vltò citroqué per eam occasionem perscriptæ: perleclis, inquam, iis omnibus, quæ tunc Pontifex in luæ familiæ gratiam agitauit, ne verbulum quidem à me compertum, quod ad comparandam suis Mediolanensem ditionem spectaret, etiam in terum conditionibus magis quād id temporis ad hoc ipsum opportunis; quales erant post connubium Octauij Farnesi cum Margarita Austriaca: adeoque cùm eiusmodi concessio collatura fuisse Cæsari & amplitudinem filiaæ suæ, & suorum posterorum dignitatem. Quin vbiique comperio, semper à Pontifice iniunctum singulis Ministris, ipsique nepoti, cùm pacis necessitas vrgeret, quod & Othiomanno refisteretur, & hæretici deprimerentur, nec ea, nisi traditâ Francisco Regi Insubriâ perfici posset, Cæsarem rogarent atque obtestarentur, ne grauaretur hac magnanimitatis hostiâ tamquam incolumenti Christianorum, & Religionis emolumento litare. Verum, vt etiam fides iis porrigitur, qui non aliâ notitiâ, quād ex opinione vulgari semper ad deteriora proclivi, arbitrantur studuisse Paulum suis Mediolanum conquerere; certè inficiari nemo poterit, eum tam altae cupiditati tam strenue temprasse, vt accuratiū publici quād priuati parentis partes expluerit. Satis enim intelligebat, vnicam rationem Insubriæ impetrandæ à Cæsare (penes quem eius concedendæ potestas erat, eiusdem quippe possessorum ac dominum supremum) futuram fuisse, si à proposito neutri parti adhærendi discederet, de quo adè querebantur Austriaci. Qui medius inter duos hostes æquè perstat, sperare quidem quietem vtrumque potest, eximia beneficia ab alterutro sperare non potest. Quin vt animi perturbatio cognitionem decipit, & tepidus calenti manui frigidus, frigidæ calidus videtur; ita qui æqualiter in medio pedem figit, vtrique partium suspectus euadit, quasi alterius studiosus. Erat etiam Clementis exemplum, qui partes Cæsaris aperte fecutus Florentiam obtinuerat.

Quod si tot legationes, tot sumptus, tot officia, tot itinera, tot res per eas cursas confectæ parum valent ad persuadendum in Paolo III. pacis ac Religionis studium, quicumque certè in terris labor frustra suscipitur, quo præclarri nominis fama comparetur.

⁶ Sed hac in re possum equidem accusationem euertere oculato teste omnem exceptionem superante, cuius dictum latere Stiauem haud potuit, adeoque malignæ fraudis cum redarguit. Num fortè non legit narrationem Nicolai Tepoli, qui Orator à Senatu Ve-

Pars I.

Xx

neto

Orat
ij Tric
I
V

1538.

* Apud Bar-
berinos.

neto ad ea negotia peragenda missus, Regum pacificationem de sua
 Reipublicæ voluntate omni studio promouit, omniumque arcana-
 rum conscius fuit? Hic itaque in illa accuratissima narratione non
 modò numquam indicat agitatum à Pontifice de Insubria Farne-
 siis impertienda, sed refert, eundem per summam efficaciam flu-
 duisse Cæsar per suadere, ut illam Aurelianensi Ducis concederet.
 Insuperabilis quæ obstitit difficultas, in eo erat, quod volebat
 vna parte Cæsar, ut eius concessionis effectio tres annos protrahe-
 tur, donec Ferdinandi fratris sui filia ætatem pertingeret, quæ cum
 Aurelianensi coniungeretur; Insubriæ interim penes amicum depo-
 sitâ, acceptisque à Rege suspettiis in Turcam, & officiorum ope in
 Protestantes. E diuerso Rex abnuebat, præsenti suarum rerum de-
 spendio, amicorumque iacturâ spem futuræ accessionis emere;
 hinc verò recusabat Cæsar præsenti Mediolani iacturâ spem Gallo-
 auxilij fauorisque mercari. Inter hasce difficultates utrumque in-
 eluctabiles, ait Tepolus, præ se tulisse Pontificem tam studiorum
 boni communis voluntatem, tam liberam parentis, & Christiani
 animi sinceritatem, ut ab utroque Principe quemcumque vaporem
 dissidentia priùs de se concepta planè depulerit, suspicionemque
 in fiduciam verterit. Affirmat quoque, Pontificem ardentem humi-
 pacis desiderio posthabuisse cuncta corporis incommoda, senectute
 morbisque confecti, cunctasque Maiestatis offenditores, cui haud præ-
 exhibita, præsertim à Sabaudia Duce, reverentia fuerat, ut qui pol-
 licitus illi Nicææ arcem, in qua & ipse diuerteret, & in colloquum
 Reges exciperet, re ipsâ postmodum eam denegavit, ob suspicionem
 ex militia externa inducenda excitatam. Vnde Paulo, nolenti also-
 pacto urbem ingredi, necesse fuit in Cœnobium extra Nicæam se
 recipere. Quod Pontificis rei que agitatae incommodum, ut affi-
 rit Tepolus, viam stravit induciarum sanctioni, quas prius Carolus
 diurninas, Franciscus breves recusabat. Ipsarum siquidem diurni-
 nitati repugnabat ante Cæsar Sabaudi gratiâ, qui oppidis à Gallo
 occupatis interim priuabatur, at vbi postea sensit, auctoritatem
 suam tanti apud Ducem non fuisse, ut ab illo tamquam gratifica-
 tionem Pontifici impeararet, prout se posse considerat, ac se velle
 declarauerat, statuit vicissim longas inducias voluntati auctoritati
 que Pontificis concedere, posthabitâ Sabaudi utilitate.

Alterum quod super hac re in Paulo Suavis arguit, Concilium
 spectat. Ad hoc ipsum intelligendum scire oportet, cum Pontificis
 ab utroque horum Principum quæsiisset, ut Antistites, qui tunc
 erant in eorum comitatu, ad Synodum mitterent, mox verò reli-
 quos



1538.

quos suarum ditionum, moram ab utrisque postulatam, caufantibus, nec decere alteros tam arduum opus flos aggredi, nec alteros ad maturè conuenientum præstò esse: proinde rursus à Pontifice Synodum Romæ prorogatam usque ad futurum Pascha, * disertè afferente, id fieri tam in gratiam Cæsaris & Ferdinandi fratris, quām Regis Galliæ; cùm ita se subtraheret à calumnia vitandi Concilij quasi Pontificia Monarchiæ periculoso. Edixit etiam, non idcirco putandum prius diploma Placentiæ editum per ea abrogari: quibus significabatur, tametsi eius inchoatio usq; ad Pascha traheretur, non idè ipso Paschatis die vt inchoatum censendum, absque noua denuntiatione Pontificis; quandoquidem fieri poterat, vt ex variis rerum euentis ne tum quidem è Republica foret eius inchoatio.

* Genue
28. Junij
1538 ex
Actis Con-
fessor.

8 Hic verò Suavis autumat, Paulum huic duorum Principum petitioni adeò se promptè flexisse, vt non tam alienis votis indulgere, quām proprio satisfacere videretur. Sed in hoc pariter eumdem mendacij reum arguit Tepoli narratio; in qua non solum nulla eius rei mentio fit, sed contraria planè habetur, vbi affirmat; Cūm inter pacis conditiones proponeretur, vt Rex Galliæ Concilio consentiret, haud illum id Cæsaris impulsu agere, sed in Pontificis gratiam voluisse. Quod si Paulus non se durius gessit concordi Regum petitioni protrahendi Concilij, nōnne Suavis animaduerterebat, esse prudentis consilij ad retinendam & auctoritatem & benevolentiam, haud obfirmatè iis repugnare, quæ inuitu petitore impedit in potestate nostra non est, cùm spes non suppetit hominem à petitione dimouendi? Quid amplius effecisset Pontifex, si firmus in festina inchoatione Synodi perstitisset, nisi palam ostendere, in eo sibi potestatem impotentem inesse, eosque Principes impelli ad id per seipso exequendum, Pontifice aperte repugnante, quod tunc ab ipso tamquam beneficij loco poscebant? An forte id æquis titulus non petebatur? Rationes audiamus, quas Pontifex attulit inter mandata suis Legatis præscripta.

9 Prima fuit: Ab illis Regibus affirmari, se libenter Synodo interfuturos: fed cùm diu ab sua quisque Regia belli causâ abfuisset, opus esse domum redire, & aliquamdiu sua negotia ibi componere.

Secunda: Cūm ad tempus inducie solum inter eos confectæ fuissent, nondum pax perpetua, quæ vti inter eos conuenerat, missis Romam utriusque Oratoribus agitanda erat, vbi Pontifex eius sequestrum ageret, rei euentum præstolandum: etenim stabilità pace Concilium proculdubio solemniori frequentiâ, accuratori tolerâ, defecatiō securitate, vberiori fructu celebratum iri.

X x 2

Tertia

* Exstat in li-
bro Archivij
Vaticani, re-
lato ab A.
leandro, cui
titulus, Lite-
re Italica ex
Legatione
mea tercia
Germanica,
in quo libro
sunt etiam
scripture ac
Literæ A-
leandri in-
fra citandæ.

ori x
ij Tric
I
V

1538.

Tertia erat: Cūm immineret præualidus Turcarum impens, vniuersæ Pannoniæ minitantium, eorum conatus neruis omnibus reprimendos. Proinde Episcopos tam Germaniæ quam Pannoniæ, eosque præcipue, qui profanis pollerent ditionibus, defensioni operam impensuros, adeoque partem adeò nobilem Insularum Concilio defuturam.

Quarta: Ex pluribus acerbisque dissidiis inter Germaniæ Proceres gliscentibus, difficilem tunc videri huiusmodi Conuentum, & importunum; quapropter satius esse, illorum concordiam expectare, cuius spem non inanem Carolus ac Ferdinandus faciebat.

Postrema: Cūm duos iam menses Legati Vicentiae consumpsent, nullum ibi Episcoporum visum, nec proximi illorum aduentus indicium haberet; quod non solum utilem, sed necessarium quoque dilationem ostentabat.

Num forte haec rationes parum ponderis praese gerunt? Sedes omnes mittamus. Nonne diu erat, quod tres præcipui Principes eam petitonem confirarant? Quis ardenter Carolo Concilium exoptauerat? Quia penè dixerim importunitate ad illud concandum Pontifices extimulauerat? Cuiusnam magis quam Celsaris interesse videbatur ea præstare, quæ tot flagrantissimis totis Germaniæ postulationibus sponderat? Cūm igitur idem prolationem depositaret, nullus erat dubitationi locus, quin vel nequeret, vel parum congrueret id temporis Concilium cogi. Enimvero Germani tam prius audi festinati Concilij, per eam occasionem ne vnam quidem linguam gerere visi sunt, quæ de prorogatione mutiret.

C A P V T VII.

Censura ac multa à Pontifice in Britaniæ Regem promulgata.

Egerant ad ea usque tempora Pontifices cum Rege Britannorum, ceu cum corpore tabefacto quidem, at delicato, cui leuia medicamenta essent adhibenda, opem non vim inferentia, & præstolando temporis beneficio accommodata. Sed experientia iam spem consumpsérat, adeoque pariter timorem, cūm illi nihil hostilium in mentem cadere videretur, quod in Ecclesiam non exerceret. Duo capita, quæ in maxima fuerant apud Anglos reverentia, præcidi iussérat, Cardinalem Roffensem ac Thomam Morum, ab ipso, cūm castus regnaret, ad summos gradus euectos. Maiehans crimen erat, noluisse hunc Nabuchodonosorem adorare tamquam Christum.

* Varia Litteræ Alani
Legati,
& Mignanelli
Nuntiū
in Germania.

